

Maria Luisa Delvigo

*I difetti del poeta: vitium e soloecismus in Servio*

1) Quint. *Inst. or.* 1, 6, 16-17

Non enim, cum primum fingerentur homines, Analogia demissa caelo formam loquendi dedit, sed inuenta est postquam loquebantur, et notatum in sermone quid quoque modo caderet. Itaque non ratione nititur sed exemplo, nec lex est loquendi sed obseruatio, ut ipsam analogian nulla res alia fecerit quam consuetudo. Inhaerent tamen ei quidam molestissima diligentiae peruersitate, ut 'audaciter' potius dicant quam 'audacter', licet omnes oratores aliud sequantur...

2) Quint. *Inst. or.* 1, 5, 5

Sed quia interim excusantur haec uitia aut consuetudine aut auctoritate aut uetustate aut denique uicinitate uirtutum (nam saepe a figuris ea separare difficile est): ne qua tam lubrica obseruatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat, de quo nos latius ibi loquemur ubi de figuris orationis tractandum erit.

3) Quint. *Inst. or.* 1, 5, 52-3

Quaedam tamen et faciem soloecismi habent et dici uitiosa non possunt... Schemata igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poetas, sed oratoribus quoque permissa. Verum schema fere habebit aliquam rationem, ut docebimus eo quem paulo ante promissimus loco, sed hic quoque quod schema uocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, soloecismi uitio non carebit.

4) Sen. *Epist. ad Lucil.* 95, 8-9

Omnes istae artes circa instrumenta vitae occupatae sunt, non circa totam vitam... Vis scire quam dissimilis sit aliarum artium condicio et huius? in illis excusatus est uoluntate peccare quam casu, in hac maxima culpa est sponte delinquere. Quod dico tale est. Grammaticus non erubescet soloecismo si sciens fecit, erubescet si nesciens; medicus si deficere aegrum non intellegit, quantum ad artem magis peccat quam si se intellegere dissimulat: at in hac arte uivendi turpior uolentium culpa est».

5) Apul. *Flor.* 9, 13-25

Cum sit arduum et oppido difficile uel modicae paucorum expectationi satisfacere, praesertim mihi, cui et ante parta existimatio et uestra de me benigna praesumptio nihil non quicquam sinit neglegenter ac de summo pectore hiscere. quis enim uestrum mihi unum soloecismum ignouerit? quis uel unam syllabam barbaram pronuntiatam donauerit? quis incondita et uitiosa uerba temere quasi delirantibus oborientia permiserit blaterare? quae tamen aliis facile et sane meritissimo ignoscitis. meum uero unumquodque dictum acriter examinatis, sedulo pensiculatis, ad limam et lineam certam redigitis, cum torno et coturno uero comparatis. tantum habet uilitas excusationis, dignitas difficultatis.

6) Serv. *Comm. Don.* GL IV 447, 5-13

quaesitum est apud Plinium Secundum, quid interesset inter figuras et uitia. nam cum figurae ad ornatum adhibeantur, uitia uitentur, eadem autem inueniantur exempla tam in figuris quam in uitiiis, debet aliqua esse discretio. quicquid ergo scientes facimus nouitatis cupidi, quod tamen idoneorum auctorum firmatur exemplis, figura dicitur. quicquid autem ignorantes ponimus, uitium putatur. 10. nam sicut superius diximus, sciens qui dicat «pars in frustra secant» et causa uarietatis hoc dicat, figuram facit; si autem nescius, cum aliud uelit dicere, incongrue inter se numeros iunxerit, soloecismum fecisse iudicatur.

7) *Pompei Comm. in artem Donati* III 48.

Soloecismus dicitur in soluta oratione; in poemate schema nominatur. Plinius sic dicit: quando sit soloecismus, quando sit schema, sola intelligentia discernit... Nam [et] in soloecismo hoc quaeritur, utrum sciens hoc fecerit, an nesciens: si sciens fecerit, erit schema; si nesciens fecerit, erit soloecismus... Nefas est autem de isto tanto uiro credere per imperitiam hoc fecisse, non per scientiam adfectasse nouitatem. Ergo sola discretio scientia erit inter uitium et uirtutem; nam sic appellauit figuras, uirtutes: sola ergo discretio erit scientia. Ceterum si nesciens quis fecerit, sine dubio dicitur soloecismus; si sciens fecerit, dicitur schema. Hoc quidem dixit; tamen quiuis potest facere soloecismum et dicere: «figuram feci». Si noluerit rationem reddere, nihil est hoc, licentia est praua.

8) Serv. *ad Aen.* 7, 399 TORVUM pro torve.

9) Serv. *ad Aen.* 1, 251

infandum pro infande *posuit*, ut in VI. 'miserum septena quotannis'. item 'torvumque repente clamat' pro torve. et est figura, quae fit quotiens nomen pro adverbio ponitur; magis autem poetica est, in prosa aut rara aut numquam. tamen hoc loco 'infandum' potest esse etiam interiectio.

10) Serv. *Comm. Don.* 438, 35-439, 4

sic autem (sc. nomina) posita sunt pro aduerbiis, quem ad modum fere inuenimus apud poetas nomina pro aduerbiis constituta, ut 'torvum clamat' pro eo quod est torve, 'horrendum resonat' pro eo quod est horrende. qua figura oratores omnino uti non debent. genus enim est solecismi, sicut ipse Donatus

11) Serv. *Dan. ad Aen* 1, 212

PARS IN FRUSTA SECANT figurate, ut 'pars grandia trudunt' (4, 405)

12) Serv. *ad Aen.* 5, 120

PUBES IMPELLUNT figura est ut 'pars in frustra secant' (5, 120).

13) Serv. *ad Aen.* 5, 120

PVBES INPELLVNT figura est, ut "pars in frustra secant". et sciendum inter barbarismum et lexin, hoc est latinam et perfectam elocutionem, metaplasmum esse, qui in uno sermone fit ratione vitiosus. item inter soloecismum et schema, id est perfectam sermonum connexionem, figura est, quae fit contextu sermonum ratione vitiosa. ergo metaplasmum et figura media sunt et discernuntur peritia et inperitia. fiunt autem ad ornatum.

14) *Verg. Aen.* 5, 556-9

omnibus in morem tona coma pressa corona;  
cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro,  
pars leuis umero pharetras; it pectore summo  
flexilis obtorti per collum circulus auri.

15) Serv. *ad Aen.* 5, 558

IT PECTORE SVMMO sic legendum, ne sit soloecismus. et rei inanimali dedit motum dicendo 'it'. 'summum' autem 'pectus' ait pectoris et colli confinium.

16) Serv. *Comm. Don.* 415, 13-24

in significationibus aduerbiorum localia aduerbia diligenter aduertenda sunt, quae habent quattuor species, in loco, de loco, ad locum et per locum. in loco sunt haec, hic illic ibi intus

foris. de loco sunt haec, hinc illinc inde. intus foris uno modo tam in loco quam de loco proferuntur, id est sine coniunctione praepositionis. ad locum sunt haec, huc illuc illo istuc intro foras. per locum sunt haec, hac illac illa. ergo animadvertere debemus, ut, quotiens fuerint adverbia in loco, iungamus verba quae habent significationem in loco, ut puta, ibi sum, illic sedeo, intus <sto> et similia; quotiens sunt autem adverbia quae significant ad locum, iungamus ea his verbis similiter quae habent significationem euntis, ut pergo illuc, vado illo, proficiscor intro et similia. nam siqui dicat 'venio ibi', vitiosum est. venio enim significationis est ad locum, ibi vero in loco est, et duo haec diversa numquam cohaerent.

17) Serv. *Comm. Don.* 446, 27-30

item fit soloecismus per partes orationis, si ipsae per se malo ordine ponantur, ut 'intus eo' pro intro. nam cum et intus et intro adverbia sint, tamen malo ordine posita vitium fecerunt.

18) Gell. *Noct. Att.* 1. 7, 3

Videbatur compluribus in extremo uerbo menda esse. Debuisset enim scribi putabant non 'futurum', sed 'futuram', neque dubitabant, quin liber emendandus esset, ne, ut in Plauti comoedia moechus, sic enim mendae suae inludiabant, ita in Ciceronis oratione soloecismus esset 'manifestarius'.

19) Gellio *Noct. Att.* 1, 7, 4-6

Aderat forte ibi amicus noster, homo lectione multa exercitus, cui pleraque omnia ueterum litterarum quaesita, meditata euigilataque erant. Is libro inspecto ait nullum esse in eo uerbo neque mendum neque uitium et Ciceronem probe ac uetuste locutum.

20) Iuv. 6, 448-56

non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit,  
dicendi genus, aut curuum sermone rotato  
torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,  
sed quaedam ex libris et non intellegat. Odi  
hanc ego quae repetit uoluitque Palaemonis artem  
seruata semper lege et ratione loquendi  
ignotosque mihi tenet antiquaria versus  
nec curanda uiris. opicae castiget amicae  
uerba: soloecismum liceat fecisse marito

21) Mart. 11, 19

Quaeris, cur nolim te ducere, Galla? Diserta es.  
Saepe soloecismum mentula nostra facit.

22) Petronio 46, 1

videris mihi, Agamemnon, dicere: 'quid iste argutat molestus?' quia tu, qui potes loquere, non loquis. non es nostrae fasciae, et ideo pauperorum verba derides.